FLORA.

69. Jahrgang.

No. 7. Regensburg, 1. März 1886.

Inhalt. W. Nylander: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam. — W. Nylander: Graphidei Cubani novi. — Dr. Röll: Zur Systematik der Torfmoose. (Fortsetzung.) — Personalnachricht. — Anzeige.

Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio quadragesima quinta. — Exponit W. Nylander.

1. Collemopsis Taurica Nyl.

Thallus nigricans tenuis subfurfuraceo-granulatus vel minute areolato-diffractus; apothecia punctiformi-impressa (latit 0,1 millim. saepius parum superantia); sporae 16nae globulosae, diam. 0,005—6 millim., epithecium glaucescens in lamina tenui, paraphyses mediocres molles articulatae. Iodo gelatina hymenialis non tincta.

Super saxa arenacea aprica prope balneum Jalta in peninsula Taurica (Lojka).

Species definitione data satis dignota; comparanda cum *P. leprosa* Anzi, sed nigrior, thecis 16-sporis etc.

2. Lecanora Grimmiae Nyl.

Thallus vitellinus granulatus, granulis minutis (aggregatis aut sparsis), demum planiusculis subcrenulatis; apothecia rubricoso-rufa planiuscula (latit. 1 millim. vel minora), margine nigricante; sporae 8nae incolores placodiomorphae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,005—7 millim., loculus utriusque apicis mediocris. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae (et sporae) fulvo-rubescentes.

In Caucaso super Grimmias in valle Baksan (Lojka).

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0099-6

Species mox distincta a *L. Schistidii* Anzi jam apotheciorum margine nigro. K thallus non reagens, epithecium purpurascens (perithecium tum supra etiam purpurascens). Gonidia in hypothecium intrusa.

3. *Lecanora discernenda* Nyl.

Similis *L. lobulatae* Smrf. et comparanda cum *L. obliterascenti* Nyl. in Flora 1883, p. 99, sed differens praesertim apotheciis discoloribus laete aurantiacis. Sporae longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,003—4 millim.

Super saxa syenitica prope Predazzo in Tyrolia (Arnold).

Non confundatur Arn. L. 1035, qui numerus sistit *L. tegularem* Ehrh.

4. *Lecanora squamulata* Nyl.

Thallus albidus, minute squamulosus, squamulis indistinctis, ambitu magis distinctis et obsolete crenulatis (latit. 0,2—0,3 millim.); apothecia pallide rufescentia (latit. 0,5 millim. vel minora), margine thallino subintegro cincta; sporae 8nae incolores ellipsoideae, longit. 0,012—18 millim., crassit. 0,005—8 millim., loculo minuto aut mediocri in utroque apice, epithecium pallido-rufescens. Iodo gelatina hymenialis coerulescens (thecae apice praesertim tinctae), dein fulvescens, sporae etiam fulvescentes.

Populicola ad Nantes in Gallia occidentali (Hue).

Species haud parum singularis sporis ut in *Lecanorae cerinae* stirpe, sed epithecium non chrysophanicum (nec K reagens). Spermatia oblonga, longit. 0,002—3 millim., crassit. 0,001 millim., in arthrosterigmatibus pauciarticulatis, articulis turgidulis.

5. *Lecanora Transsylvanica* Nyl.

Thallus cervino-fuscescens squamulosus, squamulis crassiusculis rotundato-difformibus (latit. circiter 0,5 millim.), saepius convexiusculis; apothecia nigra innata (latit. circiter 0,5 millim.); sporae 8nae fuscae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,018—21 millim., crassit. 0,011—14 millim., epithecium violascens, paraphyses mollescentes. Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein luteo-fulvescens.

Supra saxa trachytica infra ruinas arcis prope Deva in Transsylvania (Lojka).

Species omnino distincta a *L. Budensi*, versus quam accedere videatur, jam sporis multo majoribus, spermatiis multo longio-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0100-2

ribus, thallo obscuriore. Epithallus nonnihil violascenti-tinctus in lamina tenui (sicut epithecium). Gonidia granulum vel granula pauca minuta obscura continent. Spermatia aciculari-bacillaria, longit. 0,010—14 millim., crassit. 0,0066 millim., in arthrosterigmatibus infixa saepius pauciarticulatis. Squamulae thallinae saepe sublimbatae.

6. *Lecanora castanomela* Nyl.

Thallus obscure castaneo-fuscus, turgidulus, diffractus (crassit. circiter 0,5 millim.), determinatus, areolis inaequalibus; apothecia nigra (latit. circiter 0,5 millim.), margine thallino parum vel vix prominulo cincta; sporae 8nae fuscae ellipsoideae 1-septatae, longit. 0,016—21 millim., crassit. 0,008—0,010 millim. Iodo gelatina hymenialis vinose fulvescens.

Supra saxa calcareo-schistosa in Tyrolia prope Panneveggio (Arnold).

Comparari possit cum *L. crustulata* (Mass., Arn.), sed thallo obscuriore non fimbriato, sporis aliis etc.

7. *Lecanora incanescens* Nyl.

Similis *L. circinatae*, sed thallo albido minore, minus circinato, apotheciis fuscis vel rufescentibus. Sporae longit. circiter 0,012 millim., crassit. 0,007—8 millim., paraphyses bene articulatae. Spermatia longit. 0,005—6 millim., crassit. 0,001 millim.

Supra saxa quartzosa in alpibus Delphinatus supra La Grave (legi 1860).

8. *Lecidea piceicola* Nyl.

Thallus subvirescens tenuissimus vel obsoletus; apothecia pallido-rufescentia vel obscuriora, plana, marginata (latit. circiter 0,3 millim.), margine nigricante, intus albida; sporae 8nae incolores oblongae 5-septatae, intercedente septo uno alterove in sensu longitudinali, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0,004—6 millim., epithecium tenue vix obscurascens, paraphyses graciles, hypothecium incolor, perithecium fuscum. Iodo gelatina hymenialis non tincta, protoplasma thecarum fulvo-rubens.

Super ramulos *Pini piceae* prope Leutkirch in Wuertembergia (Herter).

Species distincta a Gyalectis cognitis. Gonidia, simplicia nec chrysogonidica. Simul admixtam crescentem vidi singularem *Epilithiam cristatam* Nyl. Coll. Lich. Gall. merid. et Pyren.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0101-8

p. 16 (quae forsan etiam saxicola super thallum tenuem obvenit obsoletum vel parum visibilem).

9. Lecidea obturbans Nyl.

Thallus cinereus rugosus inaequalis (crassit. 0,2—0,5 millim.), hypothallo nigro limitatus; apothecia nigricantia vel nigra, opaca, intus pallida, immarginata convexa (latit. 0,5—0,9 millim.), juniora plana marginata; sporae 8nae incolores oblongae 1-septatae, longit. 0,010—11 millim., crassit. 0,0035 millim., paraphyses non bene discretae, epithecium et perithecium obscurata (nigricantia). Iodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose rubescens.

Supra saxa argillaceo-schistosa in Anglia ad Winster haud procul a Kendal (Martindale).

Novae stirpis species accedens, ut videtur ad *L. Bahusiensem* Blomb. Spermatia oblonga vel breviter cylindrica, longit. 0,0040—35 millim., crassit. 0,0006—7 millim. Thallus K extus intusque lutescens; sat laxe adfixus. Epithecium acido nitrico colorem non mutans.

10. Lecidea acutula Nyl.

Thallus cinereo-virescens vel cinereo-fuscescens, tenuis, granuloso-squamulosus, squamulis minutis subimbricatis convexiusculis difformibus; apothecia nigra tenuia (latit. 0,5 millim. vel minora), marginata, margine tenui acutiusculo, saepe angulose subplicata; sporae 8nae incolores fusiformes simplices, longit. 0,012—15 millim., crassit. 0,0025—35 millim., paraphyses sat discretae, epithecium, perithecium et hypothecium tenue obscurata (fusconigra). Iodo thecae vinose rubescentes.

Super corticem pini ad Staveley prope Kendal in Anglia occidentali (Martindale).

Species est e stirpe *Lecideae ostreatae*, notis datis facile dignota. Thallus K —. Perithecium obscurum K obsolete purpurascens.

11. Platygrapha subrimata Nyl.

Affinis et subsimilis *Pl. rimatae* (Flot.), sed sporis minoribus (longit. circiter 0,021 millim., crassit. circiter 0,0035 millim.).

Supra corticem juniperi circa ruinas arcis Issar in Chersoneso Taurica (Lojka).

12. Verrucaria xylospila Nyl.

Thallus umbrinus vel fuscus, tenuis, opacus, subrimulosus; apothecia pyrenio dimidiatim nigro prominulo (latit. fere 0,2

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0102-3

millim.); sporae 8nae incolores oblongae 3-septatae, longit. 0,026—27 millim., crassit. 0,011 millim.

Super lignum vetustum in Helvetia ad Riffersweil (Hegetschweiler sen. ex hb. Stzb.).

Species e stirpe *V. pyrenophorae* notis allatis dignoscenda. Gonidimia glomerulosa.

Observationes.

1. Apud *Collema nigrescens* (L.) et *C. aggregatum* (Ach.) iodo gonimia sanguineo-rubescunt, tumque lamina tenuis thalli praesertim desiccans rubescit. Idem observatur apud *C. multipartitum* (Sm.), *C. laciniatum* Nyl., *C. solenarium* Tuck., *C. stellatum* Tuck., *C. conglomeratum* (Hoffm.), *C. Laureri* Flot., *C. thysanizum* Nyl. in Flora 1883, p. 534, *C. thysanaeoides* Nyl. ibid., *C. conistizum* Nyl., *C. leucocarpum* Tayl., *C. glaucophthalmum* Nyl. Praestantissimus Martindale observavit *Nostoc* quoddam eandem habere reactionem; illud bene vidi apud *N. commune*, unde etiam probatur affinitas cum Collematibus et quam frustra in disparatis Classibus separarentur. In *C. cristato* Hffm. etiam thallus I +.

2. Jam antea animadverti, Cladonieos minime accommodatos esse demonstrandae excellentiae ractionum ob tenuitatem plerumque thalli tubulum chondroideum obtegentis, quo fit ut particulae tinctoriae solum parcissime adsint. Ita reactiones, quae K obtinentur, caute attendendae sunt, nec nisi mox effectae respiciendae. Lentae vel secundariae tutissime negligantur. Tamen thalli praesertim superficie pulverulenti apud Cladonieos reactionem flavam, ubi occurrit, etiam pulvisculo exiguissimo peracute indicant.

3. Lecanora Grimselana (Hepp Flecht. 225) certe affinis est *Lecideae coarctatae* atque tunc haec transferenda ad genus *Lecanoram*, quo casu etiam limites nullos stabiles existere inter Lecanoras Lecideasque demonstratur. Singulari inexperientia auctores quidam illam duxerunt ad Pyrenocarpeos. Spermatia illi bacillaria longit. 0,0045 millim., crassit. 0,0007 millim.

4. Ad *Lecanoram spodomelam* Nyl. in Flora 1876, p. 572, etiam in Transsylvania a cl. Lojka lectam, animadvertatur, paraphyses clavam fuscam habere et tum epithecium fuscum conspici. Hymenium fere sicut in *Lecidea lenticulari*. Pertinet haec species ad stirpem *Lecanorae disparatae*; arthrosterigmata adsunt. Sporae etiam 1-septatae analogiam confirmant inter has *Lecanoras* et *Lecideas*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0103-9

5. *Lecidea Michelettiana* (Mass.) est Biatora vix nisi thallo evoluto et apotheciis laetioribus differens a *L. Gagei* Hook.; ita ad eandem speciem pertinere possint. Sed simul parum differt *L. lenticularis* Ach., quae faciem biatorinam saepe sumit. Accedit vero affinitate omnino lecideina *L. chalybeia* Borr. Quod exemplum ostendit, quemadmodum fallaces sunt et vanae divisiones sporologicae Lecidearum et Biatorarum quum etiam saepe alterae ab alteris non distinguuntur Lecideae a Biatoris, his nominibus sensu collectivo comprehensis.

6. *Lecidea tricolor* definitur in Nyl. Lich. Scand. p. 207 ex specimine Witheringii ipsius in hb. Ach. servato. Est igitur *Lichen tricolor* With. verissimus et hoc nomen illi speciei manebit, etiamsi rev. Crombie in reliquiis herbarii Witheringii inveniverit *Lecideam querceti* nomen „tricolor" ferentem et originalem esse „tricolorem" affirmaverit (Crombie, on the Lich. of With. herb. p. 5). Sed juste objiciendum est, *Lecideam querceti* nihil tricoloris offerre et sub illo nomine simul a rev. Crombie in eodem herbario indicari obvenientia *Lecideam carneolam* et *Hysterium pudicare*, quare fontem talem valde turbidam habere licet et potissime praetereundum. Variae res auctoritatem herbariorum pervertere possunt, id saepe monui. Satis aestimetur, nomen *tricolor* datum fuisse et stabile redditum speciei definitae fide speciminis Witheringiani. Cur videtur, rev. Crombie operam perdidisse sua interpretatione in hoc capite neque mutationem nominis a se praedicatam esse admittendam.

7. *Lecidea Urceolariae* (Habrothallus) Nyl. in Flora 1873, p. 298, hypothecium etiam habet fusconigrum (sicut perithecium), quod ibi addendum est.

8. In Addendis prioribus animadverti, gonidia *Gyalectae lamprosporae* constanter emittere filamenta hyphica vel myelohyphas. Quod frequenter observare licet apud syngonidia thallorum variorum, sicut jam quoque observatum fuit a praestantissimis Taxis et Martindale, studiis microscopicis lichenologicis diligenter incumbentes.

9. Corrigendum in Flora 1885, p. 605, ubi *Parm. soredica* dicitur habere spermatia crassit. „0,005—6" millim.; legendum evidenter: 0,0005—6 millim.

Parisiis, die 15 Januarii mensis, 1886.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03550-0104-5

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1886

Band/Volume: 69

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 97-102